



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>




This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

7  
ΧΟΙΡΟΧΩΡΟΓΡΑΦΙΑ:

SIVE,

HOGLANDIÆ DESCRIPTIO.



---

*Plaudite Porcelli Porcorum pigra Propago.*  
*Eleg. Poet.*

---

LONDINI:

Anno Domini M. DCC. IX.

*Pretium 2 d.*



Augusto admodum & undi-  
quaq; Spectabili Heroi

**Domino H--S--**

*Mareddydius Caduganus*  
*Pymlymmonensis. S. P. D.*

**H**OGLANDIAM hanc meam  
cum per aliquot succifivi  
Temporis Intervalla ad Umbi-  
licum qualem qualem tandem  
perduxissem ; haud diu ( Vir  
Nobilissime ) cui eam dicarem  
Patrono, dubius hæsi. Quicquid  
enim uspiam aut lepidè aut ridi-  
culè à Neotericis conscriptum  
fit, id omne & polituli tui ju-  
dicii limam, & Patronatûs auto-  
ritatem magnopere desiderat.  
Ad Te igitur, cujus commenda-





Augusto admodum & undi-  
quaq; Spectabili Heroi

# Domino H--S--

*Maredydus Caduganus*  
*Pymlymmonensis. S. P. D.*

**H**OGLANDIAM hanc meam  
cum per aliquot succisivi  
Temporis Intervalla ad Umbi-  
licum qualem qualem tandem  
perduxissem ; haud diu ( Vir  
Nobilissime ) cui eam dicarem  
Patrono, dubius hæsi. Quicquid  
enim uspiam aut lepidè aut ridi-  
culè à Neotericis conscriptum  
fit, id omne & polituli tui ju-  
dicii limam, & Patronatûs auto-  
ritatem magnopere desiderat.  
Ad Te igitur, cujus commenda-

tione fretus exultat, & passim inclarescit *Tasseius*, ad Te, inquam supplex accedit *Bevis*: Qui sane *Tasseiusq;* vester ita per omnia pares sunt Heroes, ut pene videantur gemelli. Quinetiam qui utriusque Herois Encomia, utriusque poematis structuram paulo penitius contemplatur; ita plane simile & congener utrobique artificium reperiet, ut nullus dubitet quin utrumque opusculum ab eadem incude, *Tua* scilicet confectum, prodierit. *Linæ* veluti *sibi invicem parallelæ*, quæ, Te iudice, (quicquid inepti contra garrunt Mathematici) *ab eodem centro ducuntur*.

Quanquam vero *Municipalis* *Vatis* patrocinium, pro incomparabili

radium quæ ponitur *ἰσοπέπτα*, in Au-  
spicatae spei Juvenem perluben-  
tur transtuleris ; tamen nullius  
nomen præ se feret hæc Epistola,  
nullius laudes concelebrabit,  
præter *Tuas*. Quod si perperam  
fortè

*Conemur tenues grandia,*  
Neque immensam famæ Tuæ  
gloriam satis exæquent hæc  
præconia; libeat Tibi, *Mortalium*  
*Accuratissime*, quicquid deesse vi-  
sum est, tuo arbitrio adjicere:  
ut per te docti perpetuo memo-  
rent nepotes, *qualis quantusq; vir sis*

Præli curam & verificatio-  
nem quod, attinet, Tibi unicè  
tuæque *ἀκριβεία* permissum est. Tu-  
um est cavere ne qua *Trabs su-*  
*spectæ mensuræ*, in ædificium hoc  
Poeticum admittatur ; ne quis



alicubi male titubet verticulus,  
ne quis ad nugas hæc etiam  
commendandas defit ornatus.

Frontispicium denique ipse  
adinvenias & CHALCOGRAPHO  
delineandum tradas. Mihi qui-  
dem abundè satisfaciet, si vel  
*Apri* vel *Tui* potius imagine co-  
honestetur prima pagina ; &  
perinde erit utrius proboscidi  
indatur *Χοιραΐσις* rov.

Valeas igitur, Dignissime *Nu-  
garum* Mecænas, meis *Tuisque* (ut  
facis) laboribus favere pergas ;  
cæterorum omnium conatus vel  
pro *Tuis audacter* asseras ; vel, si  
id commodè fieri nequeat, *fasti-  
diosè* contemnas :

*Et sine rivali Teque & tua solus amato.*

Ita ex animo vovet Immensitatis

Vestræ Cultor obsequentissimus,

M. C.

---



---

# H O G L A N D I A .

---



---

## A R G U M E N T U M .

*Ratio Operis. Agri Hantoniensis Descriptio. Hantonienses ad Porcos damnati, & quare? Dii Hantoniensibus irati, horrendum illorum arvis immittunt Aprum. Aprum descriptio, & deprædationes. Hantoniensium Concilium. Præconis cornu describitur. Porcii Nobilis cujusdam Hantoniensis Oratio. Bogo ( vulgo Bevis ) Eximia illius in re Porcariâ Scientia, Oratio χοιερῶν, sive Hamuli Porcarii excogitatio, & descriptio Lepidum Bogonis in circumveniendo apro artificium, Armatura, & Victoria. Publica Hantoniensium super eâ re gaudia, convivia, variæ deliciae. Farcimina quando primum inventa. Unde tot de Bogue Fabulae.*

**S** YLVESTREM qui primus Aprum mirâ arte  
 ( subegit  
 Victor, & ingentes sine cæde coercuit iras;  
 Lardivorumque genus, siccataque perna camino,  
 Et prius ignoto coctus farcimine Sanguis  
 Porcorum, mihi carmen erit. Tu, Phæbe, vocantem  
 Exaudi, cæptisque fave: Namque exul Olympo  
 Diceris

Diceris *Admeti* Porcos pavisse Subulcus.  
 Tuque, *Holdsworth*, domi vetulæ seu rancida rodīs  
 Ossa *Suis*; tumidi carmen servile *Magistri*  
 Seu jussu componis; ades, dum prælia Avorum  
 Ingeniumque cano, & patriæ præconia terræ.

Non procul *Atrebatum Castris*, quæ vergit in *Austrum*  
*Anglia*, & exiguo procurrit in æquora tractu;  
 Est tellus, *Arturi* olim dum regna manebant,  
 Milite magnanimo fœcunda, & nobilis armis.  
 Ast hodiè, vario fortunæ agitata tumultu,  
 Vix ulla antiquæ retinet vestigia famæ;  
 Immundis nam servit apris: *Britonumq;* labores,  
 Arvaque *Saxonicis* in prædam abière Subulcis.  
 Felix tu angusto pelagi intercepta meatu,  
 Quæ secura fugis dira hæc contagia, *Vectis!*

Quin age, *Musa*, mihi referas quo numine *Divûm*  
 Insenso meruit tantas *Hantonia* pœnas?  
 Unde pati graveolentis haræ damnetur odorem?

Postquam *Neustriacus* subitis invaserat armis  
*Saxonas*, & *Cimbro* successit *Victor Haroldo*;  
 Securus regni, rerumque potitus habenis,  
 Jam catulis agitare feras, jam figere cervos  
 Cæpit, & ingentes *Sylvis* rimarièr *Uros*.  
 At nimis intentus prædæ, penetralia *Divûm*  
 Impiis aggreditur, ferroque excindit & igne.  
 Protinus in campum ruit auxiliaribus armis,  
*Belgarum* Scelerata manus, superosque laceffens,  
 Provocat ad pugnam, bellumque indicit *Olympo*.  
 Nec mora: Ter denas *Divûm* furialibus ausis  
 Rescindunt *Ædes*, totidemque è sedibus imis  
 Vertunt suppositisque urunt altaria flammis.  
 Tum *Deus* ultricem jaculatus nubibus ignem,  
 Intonuit, Regisque nefas in prole, nefando  
 Funere plætebat: *Belgas* damnavit ad *Apros*,

Æterno:  
 & *Depolis* rex, cum armenta *Jannis*  
 pavisse novem cum *epith* mor  
 & *solis* exularet humana obvia

Æternoque pati juffit fœtore *Mephitim*.  
 Hinc unum fit gentis opus, seriesque laborum  
 Setigeros curare greges, & olentia tetro  
 Sacrilegis manibus purgare *Suilia* cœno.

Sed neq; adhuc satura ira Deûm est: immititur arvis  
 Infandum dictu! Divinæ nuncius iræ  
 Trux Aper: Ex humeris in densa hastilia surgunt  
 Setarum prædura Seges: *Lybicisq;* cruenti  
 Dentibus armantur rictus: Micat ingneus Ardor  
 Luminibus, candensque exit patulo ore favilla.

Ille diu *Segontiacos* impunè per agros  
 Noxius erravit, fecundaque semina rostro  
 Eruit incurvo; latèque novalia vastans,  
 Sæviit, & miseri præcidit vota Coloni.  
 Nequicquam gravidis sepem prætendit aristis,  
 Nequicquam terrere *Suem* canibusque tueri  
 Rusticus arva parat: Ruit ille, & septa ruendo  
 Perrumpit violentus, & obvia turbine verrit.  
 Qualis in *Atolis* quondàm *Calydonius* arvis  
 Sus, terror nemorum, & *Tegeææ* gloria dextræ  
 Sævierat, strâgesque dedit, cultosque pererrans  
 Devastavit agros, hominumque boumque labores.

Horrendum Gens tota fremit, justæque sub imis  
 Vindictæ rabies, ardet vesana medullis.  
 Mox aliquis Procerum, cui plurima læserat hostis  
 Prædia, deciduasque voraverat ilice glandes;  
 Bile tumet, reliquisque unus magis omnibus ardet.  
 Jamque iræ impatiens, "Dirâ scelerate, rapinas  
 "Morte piabis, ait, Diis quanquam fretus amicis.  
 Conciliumque citus statuit, quâ grata carinis  
 Tranquillum pandunt *Trifantonis Ostia* portum.

Tum præco sublimis *Hare* fastigia nactus  
 Ex humero ad clunem dependens flexile cornu  
 Corripuit: Cornu quod ab imo angustius, orbem



Extendit paulatim, & turbine latius exit.  
 Armatur plumbo medium; sed circulus oras  
 Ambiit extremas, limboque inclusit ahenò.  
 Hoc simul admovit labiis tumuere cavernæ  
 Ventris, & æquali surgentes tubere, buccæ  
 Effecere globum: Clavi mox carcere venti  
 Murmure se miscent magno, & per utrumq; foramen;  
 Summum imumque ruunt: Repletum flamine cornu  
 Ter clarè insonuit, totiesque immugiit alvus.  
 Frustrà utrinque crepat: Flatu licèt ilia rumpat,  
 Quid velit, ignorant Patres: Hinc notius illi  
 Occurrit commentum: Ictu pulsata frequenti  
 Insonat, & stupidam longè vocat Amphora turbam:  
 Quadrupedes bipedesque eadem ad convivia Porcos  
 Dolia tunsa cient, grexque ultra accurrit uterque.  
 Credideris rediisse dies, *Æaque Circes*  
 Pocula, quæ magicis olim incantata susurris,  
 In nova monstra vagos *Itiaci* mutare sodales.  
 Protinus audito sonitu, glomerantur in unum  
*Bæoti* Proceres, madidumque liquamine *Vulgus*.  
*Porcius* inde Senex, cui toto in vertice setis  
 Mentita est natura comas, & frigora contra  
 Munierat crassâ scabrum porrigine corpus;  
 Sic circumfusam compellat voce coronam.

- “ Si quid vota, Patres, si quid privata potestas  
 “ Hic valuisset, ait; non tantum ad Rostra tumultum  
 “ Hæc lux vidisset: Sed jam commune periculum  
 “ Communem deposcit opem: Nam pabula *Gentis*  
 “ Vastat Aper violens, & spes malè ridet inanes.  
 “ Cernitis ut populetur agros? Ut rapa, fabasque  
 “ Alliaque extirpet, nostræ decus omne culinæ?  
 “ Cernitis hæc? Sinitisq; inquam? -- Succurrite fortes  
 “ Agricola; & miseras Patriæ prohibete ruinas.

Hæc ubi fatus erat, juvenilibus æmula virtus  
 Creditur incaluisse animis, positoque stupore,  
 Gens tota insolitas sensit sub pectore flammæ.

Inque

inque *Sues* cædem jam conjurata ruebant  
 Agmina *Belgarum* : Truculento hic cominùs hosti  
 Ire parat, justamque armis ulsciscier iram :  
 Cautior is timet imparibus concurrere telis,  
 Et certare dolis mavult : Sed tertius hosti  
 Certius exitium intentans, exurit *Icenem*.

Talibus inter se studiis contraria jactant :  
 Cùm subitò mediâ reliquis solertior alter  
 Emicuit de plebe *BOGO* (vocat *Anglia* *BEVIS*)  
*BEVIS* honos Patriæ, *Belgarum* gloria *BEVIS*.  
 Ille quid anginâ, vel quid porrigine captos  
 Sanaret Porcos, novit ; quæ cura nocentes  
 Pellat *Hyoscyami* vires ; quo sydere præstat  
 Incolumes castrare *Sues* ; meliusne farinâ  
 Pinguescant, an glande ? *Suum* demùm omnia nôrat.  
 Artibus hisce *BOGO* instructus, tqualentia tergit  
 Ora, & Semiferum affatur sic voce Senatum.

- “ Arma movere, Patres, lethumq; inferre Tyranno  
 “ Non equidem fas esse reor, ne sævior astris  
 “ Descendat pœna, & magis æstuet ira Deorum :  
 “ Sed neque securum foret hosti cominùs armis  
 “ Pergere : *In audaces non est audacia tuta.*  
 “ Auspice me tandem lætos *Hoglandia* ducet  
 “ Tuta dies : posthac gravidis innoxius arvis  
 “ Munere vivet Aper nostro : me namque benigni  
 “ Hanc docuère artem Superi. Cùm verteret hortos  
 “ Talpa meos, curvisque errans ambagibus, herbas  
 “ Stirpitùs erueret, porrumque & cæpe, superbæ  
 “ Delicias mensæ capite obruncaret, opacis  
 “ Retia tramitibus tendebam ; hostemque tenaci  
 “ Implicitum laqueo cepi ; rostrum inde recurvum,  
 “ Et summas Talpæ transfixi cuspide nares.  
 “ Sic domitum placuit Furem dimittere : At ille  
 “ Telluris repetit rimas, notosque recessus ;  
 “ Nec tamen ulterius violavit oluscula morsu.

“ Hic

“ Hic eadem quoque tela valent. Sic ipse salutis  
“ Pandit Talpa viam : Nec abest sua gratia Talpis,

☞ Dixerat : Oranti populus clamore secundo  
Plaudit ovans, gestitque animo spectare salutem  
Polliticam, & lepidâ devictum fraude Tyrannum.

Interea insolito BEVIS conamine cæptum  
Urget opus : Chalybem sudans nunc temperat igne,  
Nunc versat massam, crebro nunc verberat ictu,  
Nunc inflat buccis, totâque incude laborat.  
Haud secus *Ænæis* *Brontes*, *Steropesque* cavernis  
Fulmina *Pblegræos* debellatura Gigantes  
Excudère Jovi : Sic illis corpore toto  
Sudor iit, sic æra manu pulsata sonabant.

Et jam fabrili demùm confecta camino  
Machina prodierat *Suibus* metuenda futuris,  
Artificique suo famam factura perennem,  
Sin vacet, ô Lector, jam contemp'abimur artem,  
Et Fabri mirabile opus. Sinuatur in arcum  
Ductilis igne Chalybis, medio qui major, utrinque  
Decrescit paulatim, & cuspide surgit acutâ.  
Partibus extremis geminâ, de more sagittæ,  
Instruitur barbâ, ne rostro furca bicornis  
Excidat excussa, aut terris impacta recedat.  
At Chalybis medium, quod naribus imminet, hirtum  
Quâ rostro confine caput stat, lamina ferri  
Tortilis obducit, faciliq; volubilis orbe  
Circuit, & simili tegit armamenta metallo.

☞ Hactenus incudi insudavimus: Altera magni  
Pars operis quæ restat adhuc, subtile BOGONIS  
Arguit ingenium. Vigilem. quâ falleret hostem

Arte

Arte diù reputans Heros, cerebrumque fatigans  
Nequicquam; " Quid tela mihi? Quid inutile ferrum  
" Proderit hoc? Inquit, si nec virtute, nec armis,  
" Nec tacito poterit monstrum superarier astu?  
Et ferrum abiciens; " Procùl hinc, procùl ito finistris  
" Machina facta Deis! Quàm pæne *Hætonia* tellus  
Frustrà efformatum contempserat instrumentum!  
Et tua, B E V I, altis damnata inventa tenebris!  
At somno demùm admonitus; carchesia Zythi  
Fæce repleta, Merique, Soporiferumque Papaver  
Miscuit, & pilulas lethæo rore madentes  
Glandibus affimulat, somnumque in glande recondit.

His ita compositis, dubii fortuna peric'li  
Induere arma jubet: Quis enim concurrat inermis  
Tanto hosti? Denos fumo indurata per annos  
Terga *Suum* properè rapit, & septemplice nexu  
Constringens, varios interfuit orbibus orbis.  
Tale olim *Phrygias* cùm sterneret ense catervas  
Hostibus opposuit clypeum, *Telamonius Ajax*:  
Si non Taurino foret hoc, illudque Suillo  
Tergore confectum, Setisque insignis aspris.  
Deinde parat Caligas: Ferrum rubigine adesum  
Accingit lateri, triplicique horrentia Porco  
Pectora circumdat catus, & Sylvestris Echini  
Exemplo sese cognatis implicat armis.  
Sed capiti galeam non applicat: ipsa laborem  
Præripuit Natura istum, metuensque futuri,  
Nativâ exiguam munibat Casside gazam.

Sic demùm Cataphractus Eques, raptisq; superbus  
Porcorum exuviis tumet, & prægnantia somno  
Semina fert secum; fretusque potentibus herbis,  
Cornipedisque fugâ, ruit obvius hostis in hostem.  
Torvus Aper visum insequitur: Fugit ille sequentem  
Sudanti tremebundus equo; pilulasque crumenâ

Ex-



\ 14 /

Expediens, Superosque vocans; per compita passim  
 Dispergit; magicâque feram consopit ofellâ.  
 Victori redeunt vires: Missoque timore,  
 Defilit in terram BEVIS: Dorsoque jacentis  
 Fervidus infiliens Apri, victricia circum  
 Ventilat arma manu, & fuso canit hoste Triumphos.  
 Ingeminant læta arva sonum: Simul (ecce) remotæ  
 Assonuerè procúl, plausumque dedere catervæ.  
 Jamque feram invadunt omnes: Pars ora catenis  
 Stringit; pars pedibus vinc'lum parat; ille præustos  
 Exacuit palos; hic terræ fortiter indit.

Ergo ubi jam vinc'lis obstrictum viderat hostem,  
 Sublataque metûs causas *Hoglandius* Heros  
 Ad magnum se accingit opus: Ferrumque bifurcum  
 Cote acuit, pinguique perungit acumina lardo.  
 Deinde *Suis*, vasto confurgens corpore, rostrum  
 Perforat, & furcam capulotenûs urget; at illa  
 Prominuit rostro, summisque in naribus hæsit.

Vix opus absolvit BEVIS; cum faucia somno  
 Bellua se levat, & multum luctata catenis  
 Horrendam emisit vocem, quâ littora ponti  
 Insonuerè procul, sylvisque remugit *Itene*.  
 Agnovère sonum populi, longèque remotis  
 Confluxère plagis: missâ cum stamine Telâ  
*Wintoniensis* adest *Textor*: *Stonhamius* inde  
 Approperat curto Vates investus Asello:  
 Hinc atq; hinc astant infensî *Muribus* hostes,  
*Muscipulasq;* gerunt venturi insignia belli,  
 Quos simul ac vidit, furiali percitus œstro,  
*Bubo* cavâ raucum ingeminabat ab ilice carmen.  
*Clausenti* Fidicen, cetuque immistus anili,  
 Currit Cerdo frequens, atq; hispidus accola *Alauni*.  
 Audiit & Pelagus vocem; civisque relictâ  
*Veete*, *Solentinum* trajecit protinûs æstum.  
 Attoniti stupuère omnes, molemque Tyranni,  
 Virtutemq; Viri, quo vindice, tanta Colonis

Emi-

Emicuit, Patribusque salus: quo Autore reperta est  
Machina non unquam *Belgis* reticenda subuluis.

Tùm verò insolito convivium publica luxu  
Poscebant Parti domito Prædone Triumpho:  
Ergo fumosis dudùm suspensa caminis  
Terga *Suum* centena ruunt, totidemq; Hecatombæ,  
Unius ob noxam, & solennis gaudia palmæ  
Immensæ esca gulæ pereunt, mensisq; parantur.  
Quoq; magis memoranda foret Victoria, & olim  
Herois latè volitaret fama per orbem;  
Non priùs expertas tunc invenisse Magirus  
Dicitur arte dapes: Cum sanguine mista Suillo,  
Mellitísque favis condita, & olentibus herbis,  
Pulmonum, jecorisq; adipisq; tomacula cultro  
Secta minutatim pingui infercisset Omaso;  
Ferventi concoxit aquâ & *Farcimina* dixit.  
Hæc ubi jam mensis fuerant illata secundis,  
Juscula fordescunt, vulgaris tædia Pernæ  
Offendêre gulam: Sola hæc placuêre palatis;  
Inque tuis regnant etiamnùm *Hoglandia* mensis.  
O Epulæ divinæ! O fercula lauta voraci  
*Pontificum* stomacho, cænisq; accepta Deorum!  
Salve igitur, tu, *BEVI*, & tanto illustris Alumno  
Terra Parens, Salve: Virides dùm noxius hortos  
Talpa fodit, gravidos rostro dùm fulcat adunco  
Porcus agros, dùm Nigra ornant *Farcimina* mensas,  
*Semper bonos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.*  
Scilicet ille tuus, qui utroque concurrat ab axe  
Hospes Aqualiculo, & pingui *Farcimine* notus,  
Hoc tibi debet: vestris adipata Saginis  
Luxuriat; vestro jactat sese *Anglia* dono.  
Dumque tibi pariles tali pro munere laudes  
Grata recognoscit tellus, ad sydera *BEVIN*  
Tollit, & *Alcidæ* illius acta laboribus æquat.  
Hinc vastâsse Urbes, immensâ hinc mole Leones  
Dicitur atque Ursos, & prodigiosa Gigantum  
Corpora *BEVIS* humi stravisse & mille *Chimæras*.

*F I N I S.*

A Catalogue of POEMS, &c. Printed and Sold by  
Henry Hills, in Black-fryars, near the Water-side.

- A** Congratulatory Poem to his Royal Highness Prince George of Denmark, &c. on the Fight near Audenard, By N. Tate, &c.  
Windsor Castle: A Poem, &c. To which is added Britains Jubilee, a new Congratulatory Song, &c.  
Malborough still Couquers: or, Union hath got the Day, A Poem. By J. Gaynam.  
The Flight of the Pretender; A Poem, &c.  
Honesty in Distress, A Tragedy, &c.  
The Kit-Cats, A Poem. To which is added The Picture; in Imitation of Annacreon's Bathillus; also The Coquet Beauty. By the Right Honourable the Marquis of Normanby.  
Wine a Poem. To which is added, Old England's new Triumph, or the Battle of Audenard. A Song.  
Cyder a Poem. In two Books; with the Splendid Shilling. Paradise lost. and two Songs.  
The Pleasures of a Single Life, with the Pleasures of a Country Life. Faction Display'd. A Poem.  
The Duel of the Stags. A Poem. By Sir R. Howard. Together with an Epistle to the Author. By Mr. John Dryden.  
Coopers-Hill. A Poem. By Sir John Denham,  
An Essay on Poetry, By the Earl of Mulgrave.  
Absolon, and Achitophel. A Poem.  
The Plague of Athens, By Dr. Sprat, Lord Bishop of Rochester.  
Tunbrigialia in Latin.  
Nundinæ Sturbrigiences. Muscipula.  
A Satyr against Woman; with the Satyr against Man. A Poem.  
The Forging Husband. A Poem.  
Instructions to Vanderbank. A Poem.  
The Temple of Death. A Poem. By the Marquis of Normanby. With an Ode in Memory of Her late Majesty.  
An Essay on Translated Verse, By the Earl of Roscomon.  
The Art of Poetry ditto.  
The History of Insipids. A Lampoon; By the Lord R——r, with his Farewell. Together with Marvil's Ghost. By Mr. Ayloff.  
Milton's Sublimity asserted: In a Poem. Occasion'd by a late Celebrated Piece, Entitled, Cyder a Poem.  
Canary Birds Naturaliz'd, &c.  
Baucis. and Philemon.  
Shaftoe's Narrative.  
Memoirs of John Hall, the late Famous and Notorious Robber.  
Circus; Or the Ring in Hide-Park,